

Beiheft.

S. 6

1288 Juni 13.

[12]

Schenkung des Wildgrafen Hugo, Mainzer Domherrn, an das Templerhaus in Laach.

Nos Hugo canonicus Magunt[inensis] sedis, dictus Sylvester, ad universorum noticiam tam presencium quam futurorum pervenire cupimus tenore presentium publice protestantes, quod nos omne ius, quod habuimus aut habere potuimus in universis bonis nostris ex hereditate paterna ad nos devolutis in territoriis villarum Gernsheim et Kircheim sitis Worm[aciensis] dio[cesis] propter specialem dilectionem et amorem predilectissimi fratris nostri, fratris Friderici preceptoris domorum milicie Templi in Alemannia et Sclavia, fratribus et domui eiusdem milicie in Lacu Worm[aciensis] dyo[cesis] de bona et libera voluntate conferimus et donamus, ita videlicet, quod predicti fratres predicta bona cum omni iure, quod nobis in predictis bonis competere videbatur, in perpetuum possidebunt pacifice et quiete. In cuius rei testimonium perpetuo valitum supradictis fratribus presentes litteras tradidimus sigilli nostri munimine roboratas. Datum et actum anno Domini MCCLXXXVIII — II Idus Junii.

Orig. Siegel, Lade 82, 1; Kopie 18. Jhd. Lade 8, 6. — Regest bei Goerz  
a. a. D. IV, Nr. 1557.